# GEOR=
# GII MACROPE-
## dij Baſſarus, Fabu
## la feſtiuiſſi-
## ma.

ANTVERPIAE
Apud Ioannem Hil-
lenium in Rapo
Anno.D.M.
XLI.

# GEORGIVS ALBERTO
ſuo ſalutem dicit.

VIdiſti,ni fallor,mi D. Alberte ante annos duos aut tres tuo nomini deſtinatam Baſſarum noſtram, quã tibi vtiq; anno priori reddidiſſem, ſi mihi negligentius ſcriptam tranſſcribere vacuiſſet. Cum tu autem mecum expoſtulare de promiſſo nõ ceſſes,nũc demum paululum temporis occupationibus meis ſcolaſticis ſuffuratus,eandem recognoui,pauloq; nõnullis in locis auctiorem reddidi.Accipe igitur mi Alberte Baſſarum noſtrã munus (quãquam exiguum)ex animo nõ ficto tibi oblatũ. Quam tamen in hoc nõ mitto, vt calcographis excudenda tradatur, ſed vt iter curas et ſeria tibi ludicra quædam ſint vulpina Baſſari vafricie cõcinnata,quibus animum tuũ ſubinde oblectes.Non in hoc(inquam)vt excudatur,quod nonnullis fortaſſe diſpliceat quod Sacerdos introducatur,quanquã in aliјs probus,ad rem tamen familiarẽ ſibi ſeruandam paulo quam decet propenſior.Vale ex Traiecto.tertio Kalendas Septembris

## ARGVMENTVM IN Baſſarum.

CVſtos Paræcho præſidiq; Baſſarus.
(Quod ſordidi eſſent & tenaces plurimum)
Lepidis dolis eum obſonijs uina abſtulit,
Et ad illa edenda eos uocauit ueſperi,
Adiutus infidelitate Creobori, &
Laruis ſuorum liberorum Bacchicis.
Fit interim ob tenebras tonitru & fulgura,
Primum Paræcho ſacram ad ædem territo,
Dein Creoboro à cruce perſequente Ærario,
Spectaculum lepidißimum. Poſt Baſſarus,
Sua ſingulos cœna ſoluta obſonia
Magno omnium riſu commeſſe diſſerit.

## ACTORES FABVLAE

Prologus
Baſſarus, cuſtos. Baſ.
Baſſara uxor. Ba.
Phorus &
Harpax liberi.
Hieronimus, paſtor.
Graidium, anus.
Coraſium, puella.
Euergetes, præſes.
Merimna, uxor.
Dromas, ſeruus.
Droma, ſerua.
Creoborus, paraſitus.
Ærarius,
Chorus ex morionibus, partim maſculis partim fœminis laruatis.

Verſu Iambico trimetro.

PRiuſquam agant res hiſtriones ludicras.
Quiddam uolunt ſpectantibus me ſerium,
Quod in omnium rem ſit futurum, proloqui.
Menſis agitur duodecimus, quod ultimos
Exhibuimus de more ludos ſcenicos.
Cuius rei explicabo cauſam duplicem,
Anno fuere ſuperiori maleuoli,
Qui garrientes publice & priuatim, eo
Dementiæ uenere, ut & blatrauerint.
Nos quoſlibet tum eccleſiaſticos uiros,
Tum ſeculares præſides taxare, ad hæc
Veterem inſtituere denuo Comœdiam.
Quid, patimur? An quod anilibus tritis quoq;
Ex fabulis riſus iocoſq; mouimus
Subinde ſpectatoribus, cum maxima
Noſtrum omnium eruditione, dicimur
Taxare ob hanc rem quoslibet, ueterem quoq;
Comœdiam renouare uetitam legibus?
Quid Aluta, quidue Andriſca cum Rebellibus,
Atq; id genus aliæ obfuerunt fabulæ, ijs
Qui candidi ac liuore fuerant liberi?
Si his fabulis ſeſe putant taxarier,
Nihil profecto tam ſacrum, tam dexterum,
Aures quod has tenerrimas non leſerit.
Sed & alij fuere qui adoleſcentulis
Mage obeſſe quam prodeſſe ludos ſcenicos
Contenderint, quod ex theatro (ut plurimum)

*Vel proniores carnis ad laſciuiam*
*Euaſerint, uel egerint licentius,*
*Vel uixerint protæruius, quaſi uitium*
*Non indoli hominis inſitum, ſed ex ijs*
*Tantummodo quæ agit uidetur, pullulet.*
*Quanq̃ tenellam mentem ephebi & lubricam,*
*Fœdis logis aut geſtibus minime nego*
*Subinde deprauarier, quales quidem in*
*Proſcænio nec decet agi nec dicier,*
*Plus gratiæ & probitatis (auſim dicere)*
*Deprehendi in ijs, quæ libere & fœliciter*
*Egere ludos in teatro ſcenicos,*
*Quam in ijs frequenter, qui (perinde ac ad lyram*
*Aſini) ob ſtupiditatem uel ignorantiam,*
*Rebus gerendis ſunt inepti dextere,*
*Aut per ſocordem ignauiam angulos amant.*
*Quo alijs alacre rem ſcænicam tractantibus*
*Vel ipſi inertes ferientur, uel alios*
*Ob lapſum in aliquo uerbulo derideant,*
*Non damno eos tamen, quibus animus adeo*
*Tranquillus eſt, ut candidi ſpectantibus*
*Iungi eligant, quam turbulenti actoribus.*
*Varijs enim natura uarias inſerit*
*Dotes, & altera alteram non improbat.*
*Quodſi ex grege hoc aliquos reperias improbos,*
*An tu mihi haud tales futuros aſſeres,*
*Niſi prodigiſſent noſtrum in hoc proſcenium?*
*Quid cæteri qui hic ſunt, uel hic Laudanium*
*Veſtramue Dauentriam profecti, ad hæc*

*Nunq̃ ætati erunt agenda ludicra, an*
*Nunq̃ rebelles improbiue euaſerint?*
*Et hæc quidem contra æmulos, & contra eos*
*Qui ſomnijs ſuis, ſuis phantaſmatis*
*Nos hactenus noſtro bono, ueſtroq; uos*
*Priuare honeſto munere egerunt ſatis.*
*Cæterum ubi uidimus grauiſsimis uiris*
*Doctisq; noſtrum diſpliacre ſilentium,*
*Decreuimus iocos dolosq; Baſſari*
*Vobis modo exhibere feſtiuiſsimos.*
*Qui Præſidem & Paſtorem, & alios ad ſua*
*Ipſorum edenda conuocauit fercula.*
*Videte dum ne Præſidis uocabulo*
*Præfectum habendum exiſtimetis urbicum.*
*Pagana, agraria, rudia erunt quæ agenda ſunt*
*Et propemodum omnis apparatus ruſticus.*
*Spectate, ſtate, ſilete, Baſſarus exiet,*

## ACTVS PRIMVS

*Scena Prima.*

*Iambici trimetri.*

*Baſſarus, Baſſara,*

*PRodi uxor. Ba. hem. Baſ. meme͂to adire te͂pori.*
*Forum cupedinarium, & mercarier*
*Capos duos, anateſq; totidem, & anſerem,*
*Armumq; arietis dexterum. Nam ueſperi*
*Epulari & exporrigere frontem deſtino,*
*Sais nempe carniualia. Ba. Atqui paucula*
*Noſtræ familiæ ſufficere equidem reor,*

*Quæ ex corte noſtra ſacile ſuppeditauero.*
*Baſ. Apage cohortales aues, nam & optimos*
*Mihi quosq; cum ſuis uxoralis uiros*
*Acciuero. Ba. num Paſtor aderit? Baſ. quid rogas?*
*Primas erit. Quid abſque Bitho Bacchius?*
*Hunc ſuauiter (ſi ſors ferat) mulgebimus.*
*Ba. Probe, ut ſubinde aſſueuimus. Vereor tamen*
*Ne (qua laborat) podagra deſidem domi*
*Cœnare cogat, atq; motus terreat.*
*Baſ. Quin tu taces? Ducendus eſt, geſtandus eſt,*
*Vehendus eſt. Abi ocyus, caue occupent*
*Te pluuia, chaſma, fulgur, & tonitru imminens.*
*Ba. Quod tu mihi bone uir tonitru ſomnias*
*Hoc menſe Martio? Baſ. Num abis loquacula?*
*Videsne ab auſtro liuidas glomerarier*
*Nubes, polumq; obducere? Vade ocyus,*
*Euentus ipſe dicta mox probauerit.*
*Ba. Vadã. heus puella. Baſ. heus tu. Ba. quid eſt. Baſ.*
*Morare, dũ pro lectitãdis ueſperis (pauxillulũ.*
*Et more cymbala pulſitem, nam à prandio*
*Iam ſonuit hora tertia. Audiſtin. B. licet.*
*Baſ. Fortaſſis ex Paſtore non nihil interim*
*Reſcibo nobis commodum. Ba. fieri poteſt.*
*Iamdudum enim ad forum anicula miſit. Vale.*
*Baſ. Vtinam madeſcat uxor ad uiuam cutem,*
*Vt debitam ſibi ferat mercedem, eo*
*Quod obſtrepat ſemper mihi atq; obganniat.*
*Quid Præſidis paraſitus eminus boni*
*Adferet? habet quod cruciat. Abſque cauſa enim*

Nec obambulat ſolus, nec it ſine Præſide,
Tacitus morabor hominem, ut audiam & ſciam.

ACTVS I. SCENA II.

Trimetri.

Creoborus, Baſſarus,

CAnunt poetæ ſoſpitatori Ioui
Pitarchian fuiſſe amatam coniugem,
Eisq; filiam fuiſſe Eupraxian.
Id perperam finxere, ut ipſe intelligo.
Sunt namque nunc omnes Ioues olethrij.
Harpyia coniunx uniformiter omnibus,
Ex qua pari ratione Dyſtychia oritur.
Obtempero uſq; diuitum tum legibus.
Tum moribus, tum nutibus. Volunt, uolo,
Negant, nego, & lingua bilancis facilior,
Aſſentor uſque & obſequor. Verum mihi
Nil præter infœlicitatem naſcitur.
Et peſſimum Infortunium. Nil commodant,
Nil dant egenti diuites. Manus ſuas
Ad largiendum contrahunt, ſed ampliter
Ad detrahendum porrigunt, quod Præſidis
Ex opere plane conſpicor. Baſ. quid Præſidem
Sugillat? audire libet ipſa plenius.
Creobore. Cre. quis me nominat? Baſ. qui te colit.
Cr. Nugæ. Baſ. q amat. Cr. bullæ. Ba. q honorat. Cr. fa
Baſ. Qui te nutrit. Cr. pol hac beas ſententia, (bulæ
Niſi nutrias, non me colis. Baſ. miſer, quin aſſides
Tuo Ioui? Cr. is me excluſit, ut eum ſtrangulet
Supremus ille Iuppiter. Baſ. næ flagitium

Admiſeris,

Admiſeris,propter quod expulit domo,
Cr.Flagitium id omne iudicat,quod non ſuo,
Marcas ducentas attulerit ærario.
Ba.Bona uerba.Cr.bona merda.Ba.Hē qd actū eſt?
Cr.Scin hoc die fures duos affixos cruci? (explica.
Baſ.Scio,perge.C.Dum ſuper hoc ueluti facto bene
Negocio adeo gratulaturus uirum.
Abi(inquit)in rem peßimam,nil commodas.
Si detuliſſem diuites grauioribus
Obnoxios facinoribus,quos penſiles
Fecißet in fumario Ganimedis in
Locum quidem ſuccederem,nunc autem(ut is
Qui dira nunciat)abigor indignis modis
Longe à caniſtro,& enecor fame miſer.
Baſ.Fors coxit aliquid lautius,quod & ſibi,&
Vxorculæ,& uentri tuo haud ſatis foret.
Cr.Famula apparabat anſerem pinguißimum,
Quem(neſcio quibus)inſuper murenulis
Infarcerat.Iouis cerebrum dixeris,
Si quippiam coctum ex eo guſtaueris.
Nihilominus larido & bouillis carnibus
(Si ſumen,& ſaginen,exta quoq; adſiciet)
Contentus eſſet hoc die hercle Creoborus.
Baſ.Veriſimilia loquere.Sed age.nil eſt domi
Quo uictites?Cr.Ita me iuuet Dea Saturitas
Beata,præter ſacculum iuglandium
(Quem ad amicorum gratiam à Dionyſijs
Subinde captandam,hoc die ſe tertijs
Emi tribus)domi eſt nihil.Baſ.Nihil?cr.Nihil.

Baſ.Te ſi quis ergo ueſperi inuitauerit,
Haud ſenſerit difficilem (ut auguror) admodum.
Cr.Non admodum,nec pallium mihi ruperit.
Baſ.Si operam tuam mihi ueſpere locaueris,
Faxo domi meæ anſerem nihilo minus
Lautum uores.Cr.Quicquid uoles uenturus eſt.
Creoborus,etiam ſi catellum iuſſeris
Fieri,atq; ſub menſa oſſa pronum rodere,
Baſ.Te laudo,Trade itaq; mihi clauem domus,
(Quam habere iamdudum ſcio te) Præſidis,
Cr.Et promus & condus meæ atq; Præſidis
Domus es.hem claues tibi.Baſ.bene eſt,abi
Et exeunti templum adeſto Præſidi,
Vt hac euntes te atq; eum ad cœnam uocem.
Cr.Secũ haud ſinet me cõgredi.Ba.ſequere eminus:
Abi,cuiquam ne qua ſit ſuſpectio.
Graidium adeſt ancilla Paſtoris,cui
Loqui me oportet antequam pulſem.Cr.Auolo.

## ACTVS I. SCENA III.

Trimetri.

Baſſarus, Graidium, Hieronymus.

VT ancilla hæc ſuffarcinata eſt.Iridos
In morem onuſta flectitur.uiſo quid habet.
Gr.Hieronyme,domine Paſtor,exili foras.
Baſ.En improbam mulierculam,foras uirum,
Qui ægerrimè ſuos mouere pedes ualet,
Huc euocat.Hie.Quid ſtulta me foras uocas?
Quin hæc ferebas intro,ut offerres mihi?

Gr.Vt-

Gr. Vt luce clara perſpicere queas here,
Quàm pulchrum, obeſum, & regium capũ, & alios
Pullos tibi paruo admodum mercata ſim.
En pondera. Hie. Egregius profectò, & optimus
Meo tuoq; Graidium & Coraſij
Meæ palato. Abi, repone, & appara.
In aquamq; frigidam falernum mergito,
Quo nil ſaporis optimi per aëris
Tollatur in temperiem. abi. Gr. Memorem mones.
Baſ. Prudenter hoc. Non hactenus uidere me.
Iam tempus eſt accedere hominem & alloqui.
Salue domine Paſtor. Hie. Salus tibi quoq;
Amice cuſtos. At quid eſt quod cymbula
Non pulſitas, cum iam ſit hora tertia?
Baſ. Noui, atq; in hoc ipſum aduolo. Primum tamen
Te conuenire uolui, & inuitare te
Ad cœnam amicam & ſobriam, quod & uelim
Ne quo modo mihi recuſes aut neges.
Soli erimus, atq; horam per unam aut alteram
Blandè & ſuauè cuticulam curabimus.
Hie. Ago gratias tibi maximas Baſſare tua
Pro beneuolentia, doleoq; plurimum,
Quod reſpondere non queam uotis tuis,
Ob maximum pedum meorum incommodum.
Sàs quoq; dolorem omnem grauari in ueſperem.
Baſ. Non eſt quod excuſes podagræ incommodum,
Ducemus, aut geſtabimus, ſi denique
Neceſſe ſit, rhedæ incubantem te domum
Vehemus. Et, ſolatio dolor interit.

Hier. Ne

Hie. Ne queſo iam moleſtus es bone Baſſare.
Quia pœna grauior eſt mihi, q̃ indulgeam
Gulæ atq; commeſſationibus. Tu abi ad
Ædem ſacram, quia Præſes ultro ſe ingerit.
Baſ. Quærendus eſt tamen homo, qui cum uictitem.
Hie. Si quæris unum, inueneris decem. I ſequor.
Vix expuli importunius uocantem. Ades
Mea Graidium. Baſ. per herculem intus & incute
Hic hypocrita eſt. Si poſſet hoc lauto bolo
Spoliarier, nullum Deo fieri queat
Sacrificium acceptius. Hie. Adesne Graidium?
Iam pulſat. Gr. Hē. Hie. Me ducito in tēplū. Gr. licet
At melius eſt, ac ludam ut oſtium, prius
Quā abeamus. Hie. ecquid tu times? Gr. memini eādē
Hac negligentia tibi ablatam ſuem
(Iam nunc dies eſt tertius) maiuſculam.
Hie. Hæc mitte, meq; ſuſtine, haud patiar moram.
Æditus en munere ſuo defunctus eſt.
Gr. Video. Hie. Caue noſtrā ſciat opulentiam. Gr. Is
Iam Præſidi loquitur, moleſtus non erit.

## ACTVS I. SCENA IIII.

Trimetri.

Baſſarus, Baſſara.

Etiam ſi Apollo è tripode ſuadeat, haud queat
Prudentius quicquam inuenire aut æquius,
Quam quod obiter Præſes mihi ſuggeſſit, ut
(Si quo modo fieri queat) Paſtor ſuis
Quæ clancularie gulæ ſtudio apparat,

Spolietur aſtu obſonijs, & ad eadem
Edenda cum probis uocetur ueſperi
Sodalibus, quo liqueat omnibus palam,
Prætextus ægritudinis quàm inanis eſt,
Quo ſubdolus meam adire cœnam pernegat,
Iam faxit æquus arbiter iuſtus Deus,
Vt facilem huic dolo ſtatim inueniam uiam.
Putabat ille ſeram obditam oſtio, aſt ego
Contrarium ſpero. Hic enim, & ſi parcus eſt
Solet eſſe negligentior, Tentandum erit.
Heus uos. Per Herculem ſeratum eſt oſtium
Hoc neutiquam. Quin introrumpo, ut omnia?
Ba. Quanta imminet pluuia, & uir haud reuertitur.
Nec tamen abire auſim, niſi ille iuſſerit,
Eccaſtor infœlix, uiro quæ ſubiuga eſt,
Cui non licet uel ire uel redire, dum
Libet. Sed eccum, egreditur ædes conatus
Paſtoris, & ſub pallio aliquid occulit.
Baſ. Quam furto in ipſo pertimeſcunt undiq;
Fures adortum, id ex meo negocio
Conſydero. diſpicio num quis me uel à
Tergo uel à fronte, aut ſiniſtra, aut dextra
Suffarinatum ſpectitet. Ba. Quid reſpiat
Demens, quaſi expilauerit iam ærarium? Baſ Hui,
Quæ illa eſt? Ba. Adeſtãdẽ? Baſ. Vxor eſt, iã ſalua res
Baſ. Quid ſerius redis? quid oculis improbe
Sub pallio. Baſ. Taces ne tu cacolalia?
Viden penum totum? Morare paululum,
Dum regrediar foras. Ba. Quid eſt quod uir meus
Tractat

Tractat dolinum laridum ut ante ſacrifico,
Sic modo penum omnem ſuſtulit. Ba. Tetigiſti acu
Rem Baſſara. modo perge citius ad forum,
Quaſi multa ſis emptura, nil tamen domum
Latura, præterquam mei Paſtoris hunc
Caprum, caniſtro quem tuo (ut uides) ob hoc
Impoſui. Adhuc ſunt alia quæ his addenda ſunt,
Ad quæ cum amicis cæteris Paſtor quoq;
Vocandus eſt. Quæ reliqua ſunt cum redieris
Narrabo. Abi. ipſi rem interim curabimus
Domeſticam. Ba. Da. uado, quamprimum hic ero.
Baſ. Dũ abit illa, ego ingreſſus, uiã, modũ, & ordinẽ
Mihi comminiſcar, ut quod eſt de Preſide
Effectui citius queat mandarier.

## CHORVS.

Iambia choria, & uarij

Qui edit bibitq; ſordidè
Is ſtultus eſt, Is ſtultus eſt, Is ſtultus eſt.
Geniumq; fraudat proprium
Is ſtultus eſt, Is ſtultus eſt, Is ſtultus eſt, Is ſtultus eſt,
Qui creber in conuiuijs
Dementior, dementior, dementior,
Ventrem refersit crapula,
Dementior, dementior, dementior, dementior
Qui perit ob eſcam corporis,
Stultiſsimus, ſtultiſsimus, ſtultiſsimus
Mentis ſalutem negligens.
Stultiſsimus, ſtultiſsimus, ſtultiſsimus, ſtultiſsimus.

Actus

# ACTVS SECVNDVS.

Scena prima. Trimetri.

Harpax, Baſſarus, Phorus.

SVmus ne perſonati,uti pater uolueras,
Vt ſcite agamus Mommios ſub uesperem?
Baſ.Sat pro mea ſententia.Har.quid igitur eſt
Quod agendum in ædibus uolebas Præſidis?
Num ſerium eſt an ludicrum?Baſ.loquere tacitus.
Tu Harpax tene hanc clauem, quæ in ædes Præſidis
Te duxerit.Har.Quid poſtea?Baſ.audi pluſculum.
Huc Præſes ad cœnam uocatus,anſerem
Domi coquit cum cæteris obſonijs.
Har.Hæc fraude tolli huic capis.ſed neſcio
Quo pacto id exigi queat.Num ibi uerubus
Detraxero?Baſ.Certum modum docebo te,
Si non rei mage commodum diſpexeris.
Atrium uiri obſeruato,alia nihilo minus
Specie tenus in uicinia pertractitans.
Cogetur autem uxor ſub horam ſeptimam,
Nondum uiro domum reuerſo, & omnibus
Iam epulis paratis opipare,huc concedere
Cum uernula,(quod eum aliò abiſſe ueſperi
Non ſuſpicabitur)atq; ſciſcitarier,
Mecum ne cœnaturus an domi ſiet.
Quibus ſerata ianua exeuntibus,
Tu age Harpaga,ne canis quidem in te mutiet.
Har.Conſilia laudo,ſat dixti mihi pater,
Quid Phorus hic frater meus facturus eſt?
Qui unas in ædes irruent fratres duo?

Baſ.Tu

*Baſ.* Tu Phore clauim hanc alteram cape clanculum,
*Et ſegregatus hora ad hanc rem congrua a*
*Fratre, introi domum latenter* Creobori,
*Ph.* Quid inde ſurrepturus? an phaſidis aues,
*Arrocreasue, aut ſumptuoſa edulia?*
*Vix panem habet* Creoborus *hic quem deuoret.*
*Baſ.* Sile parumper. In angulo primo caſæ
*Statim ab oſtio offendes nucum iuglandium*
*Saccum refertum ad dexteram, hunc tibi ſurripe.*
*Ph.* Poſt illa quid? *Baſ.* Negotium qui abſoluerit
*Prior, latebit in angulo carniarij,*
*Ibiq; dum ueniat, morabitur alterum*
*Har.* Probe, faceßimus. *Baſ.* Sed heus uos, cautius
*Agatis hæc oportet, ac ſagaciter,*
*Ne qua accidat uobis mihiue pudefactio.*
*Har.* Cautißime. *Baſ.* Si digne (ut ipſe peruelim)
*Res exequamini, profecto nihil erit*
*Spectaculo hoc iucundius uel celebrius.*
*Præſidio erunt tenebræ, tonitrua, fulgura.*
*Har.* Cura omnis abſit, melius hæc q̃ ipſe cupias
*Geremus.* Ingredere, fores templi crepunt.
*Ph.* Exit ſua Paſtor cum anu. Quantum ſtrepet
*Cum ſenſerit ſibi auolaſſe obſonia.*
*Quantum ſtrepet.* Har. *Taceto ne quid audiat,*
*Vſq; ad tenebras hanc tabernam intremus, &*
*Quod dixerint exaudeamus clanculum.*

## ACTVS II. SCENA II.

*Trimetri.*

Hierony-

*Hieronymus, Graidium*

T*E transfer huc (quoties tibi dicam) latus*
*In dexterū. Gr. At plus in ſiniſtro tibi pede*
*Doloris eſt. Hi. Anus habent ſemper aliqua,*
*Quibus uirum ſermonibus recalcitrent.*
*Sān hoc magis læuum latus ſtabilirier,*
*Quo dexterum mihi fulcias robuſtius?*
*Incende placidè. Quomodo obſonia tibi*
*Coquenda ſunt mea Graidium? an torrebimus*
*Simul omnia, an partim opipare elixabimus?*
*Gr. Sine me coquenda coquere, uel tibi alteram*
*Conduce. Hie. Noli iraſcier mea amicula,*
*Sed morbo id (obſecro) uerbulum mordacius*
*Quod ab ore lapſum eſt, imputa. Gr. capū ego quidē*
*Nouemq; ficedulas ueru affixos coquam,*
*Duosq; pullos primulum elixabo aqua,*
*Dein croco, pipere, cinamomo, & ſaccaro*
*Bacchū imbuā. Hie. recte. Gr. & in eo excoctos parū*
*Tibi iurulentos offeram. Hie. hoc ueneris epulum eſt*
*Mea Graidium. Nunc uade amabo, dum licet,*
*Et aduoca neptem meam Coraſium,*
*Vt ueniat in crepuſculo. Gr. uadam. Hie. ocius*
*Vadas oportet, ne occupent te tonitrua,*
*Tantiſper hoc ego deſidebo ad oſtium,*
*Cauebo ne quis introrepat clanculum*
*Crepit oſtium uicinum, & ipſe Baſſarus*
*Procedit, ut ſuam moretur Baſſaram.*

ACTVS III. SCENA II.

*Tetrametri.*

Baſſarus, Baſſara, Hieronymus.

V Idebo ſi ne redeat uxor. Futile eſt per Herculem

Genus omne fœminarũ, inane, pertinax, proteruiẽs.
Si inſaniam, niſi ſponte ducta, neutiquam reuertitur.
Sed eccã eã. Iã tãdẽ ades molliacula? Ba. qd uir ſtrenue?
Nũquid uolare ſolet homo, ut me tarditatis arguas?
Baſ. Pro ſcribus eſt, cæpum eximes. Oſtẽde quid mercata ſis.
Ba. Hem tibi. Baſ. Papæ, pinguiſſimum profecto cæpum, & optimum,
Nobis qdẽ ſufficeret unus hic ampliter, qd uxor hos
Pullos? quid anſerẽ? quid has ſeptẽ quoq; huc ficedulas
Magno redẽpta cõgeris? Ba. quid edãt uocati amiculi?
Baſ. Nõ ſpero uẽturos modo aëris per inclementiã,
Paſtorq; adeſſe non cupit. Ba. Non cupit? at hoc ſperaueram.
Hie. Cuperẽ equidẽ, ſi nõ ſimilia cõparaſſet Graidiũ.
Baſ. Spectata ſunt ſatis. I coque omnia in diem uel craſtinum.
Redit quæ abierat anus, ſubauſcultabo quid renũciet.

ACTVS II. SÇENA IIII.

Tetrametri.

Hieronymus, Graidium, Baſſarus.

P Roperè redis mea Graidium, quid uirgo dixerit refer.
Gra. Seſe abfuturam ait in crepuſculo. Hie. bene eſt, facilem ne ſe
Præbebat an difficilẽ? G. ait ſe modo uocatã à pluribꝰ

Verum

*Verum tibi obtemperaturam libenter ueſperi,*
Propter tuã erga ſe fauorem, gratiam, & donaria.
Hi. Eamus intro, ſunt enim in uado oĩa mea negoõa
Iam poſita. Baſ. Vide ne mox charybdin irruas. Hier.
Reſera oſtium.
Gra. Trahe peſſulum, quia non ſeraram, humero meo
nixus præi.
Sequor. Baſ. ſequere, cernes (q aiũt) auolaſſe aſſeres.

CHORVS VT
ſuperior ex Morionibus perſonatis.

Qui colligit uanas opes
Is ſtultus eſt, Is ſtultus, &c.
Sibi ſuisue liberis.
Is ſtultus eſt, Is ſtultus eſt &c.
Qui prodigit ſubſtantiam
Is ſtultior, Is ſtult. &c.
In ſordibusue abutitur
Is ſtultior. Is ſtult. &c.
Qui lucra captat impia,
Stultiſſimus, Stultiſſimus &c.
Mentis ſalutem negligens
Stultiſſ. Stultiſſi. &c.

## ACTVS TERTIVS.

Scæna prima. Iambici trimetri.
Baſſarus, Præſes, Dromo, Creoborus.

O Iuppiter quantam aëris caliginem
Hæc monſtra nubiũ adferũt continuo. Nam
Tam horrenda nunc imago tempeſtatis eſt,

*Vt imminere haud abſq; cauſa quiſpiam*
*Mortalibus putet diem nouiſsimum.*
*Eſt nempe Martij initium, quem ut autumant*
*Mundo fuiſſe menſium primum omnium.*
*Ita ſuſpicor fore omnium nouiſſimum.*
*Nihilominus iam & bibere oportet & edere*
*Quiſnam o Dy, quis illic eſt, qui properat huc?*
*Niſi dubius aſpectus meos fallit oculos,*
*Is præſes eſt cum puero, & ipſo qui eminus*
*Vtrunq; ſequitur Creoboro. Næ Præſes eſt,*
*Qui dignitatis negligens ſuos gradus*
*Grandire cum uulgo haud ueretur, nec tamen*
*Grandem procellæ euadit impiger impetum.*
*Pr. Nullum inferorum numinum ſub tartaro*
*Reliquum puto, tantis quod aër plenus eſt*
*Impreſsionibus. Solum tremit & ſtrepit,*
*Cœlum obſtrepit, nubes coruſcant, fulminant,*
*Et mugiunt, & uis procellæ maxima.*
*Cogor uelim, nolim hunc adire Baſſarum.*
*Baſ. Huc huc ades, ne præteri heros, huc ades.*
*Præ. Quis me uocat? Baſ, ego Baſſarum ne præteri.*
*Ades ocyus. Præ. ſalue. Baſ. ſalus tibi. Præ. o dij*
*Quanta omnium elementorum adeſt confuſio*
*Chaos uetuſtum mox uenturum ſuſpicor.*
*Hoc exuite puer pileum. Dr. faxo here libens.*
*Pr. Cogor uelim nolim hic manere ueſperi.*
*Baſ. Quam gaudeo ocidiſſe ſic mihi teſſeram.*
*Quo (etſi uelis quidem) negare non queas*
*Nobis tuam præſentiam. Vocaueram*

*Hierony.*

Hieronymum, uerum is (quemadmodum tibi
Modo ſuggerebam) pernegabat ſubdolus.
Niſi tu aduenires, ſolus edıſſem domi.
Pr. De obſonio quid actum? Baſ. Id inadit mihi in
Caſſes meos, rem omnem tibi intus dixero.
Pr. Euge. Baſ. Paraſitus eminus aur ſpectitat?
Pr. Offendit is me per ſuam impudentiam.
Baſ. remitte miſero noxiam. Pr. abeat impudens.
Baſ. Sequatur umbra. quod ſine umbra corpus eſt?
Sequere intro. Cr. ago tibi gratias mi Baſſare.
Baſ. Ingredimini, à paſtore crepuit oſtium.
Eccos duos, audire geſtio procul,
Quid dixerint.————

ACTVS III. SCENA II.

Tetrametri catalecti.

Hieronymus, Graidium, Baſſarus,

Dii ſuperi & inferi, & quotuſquam eſt numinum ſub ſole
Et terreant, & puniant, & diſſipēt triſurē
Qui mihi ſuem anſeremq; nuper abſtulit, modoq;
Sub luce clara obſonijs priuauit uniuerſis.
Gr. Furē admodum (quicunq; is eſt) notum tibi fuiſſe
Suſpicor, & ædium tuarum latibula penetraſſe.
Nam in intimis penetralibus ſcite uniuerſa locaram,
Hiero. Scite quidem tu cuncta, ſed ſi ianuam clauſiſſes,
Me miſerū ad infœlicitatē hāc ultimā haud duxiſſes.
Gr. Sile miſer num in me tuam torquebis incuriam?
An non ego una claudere uolebā oſtiū, & nolebas?
Tu ſolus es ob incuriam cauſa omnium rapinæ.

Hi. quid multa opuſt cōtētione? ego ſolus infœlix ſum.
Vexor podagra, lacror inuidentia ciuili,
Parū habeo, multū debeo, & qđ habeo nō permittor
Tenere per furum licentiam. Quid unam præter
Reſtim mihi reliquum? Sed & puellam adeſſe credo,
Quā ſi repellam, ſcero indigniſſimè, & clamabitur
Me ſordidū eſſe & improbū. Sin recipiā, nil eſt quod
Tam delicate appoſuero. præter tomacla cruda.
Neq; credet infortuniū qđ accidit. G. bono animo es.
Noui quid in negocio hoc agendum erit. Hie. Quid?
Gra. Cuſtos
Te iam uocauit, adibo, teq; dixero uenturum
Cum iſtac Coraſio. Hie. Recuſaui, haud recipiet ultrò
Seſe ingerentem denuo. Gr. Suſcipiet & libenter,
Quod coxerit ſat abūdè, ut ipſi uidimus. Hie. Tētato;
Vade citius, ſi fors queat præuortier puella.
Gr. Ingredere tu nixus baculo, ego Baſſaro ſuadebo
Baſ. Suadebis optime, ſed illam neutiq̄ præuortes.
Sequuta nāq; Hieronymum latenter eſt ingreſſa.
Morabor aniculam, ut audiam doli inſiti commenta.

ACTVS III. SCENA III.

Tetrametri Acatalecti.

Graidium, Baſſarus.

Vide'one quendam aſſiſtere hiſce pro ædibus?
Baſ. Compello eam.
Salue Graidium, Gra. Saluus eſto plurimū
optime Baſſare.
Baſſar. Quid te expulit foras in hac tanta aëris inclementia?

Gr. Mo-

Iacere, dum reddatur aura mitior,
Quàm temerè (ut inquiunt) tonanti oppedere.
Opicea nox, quæ intermicante fulgure
Subinde candicas, quid oſtendis mihi?
Huic uidentur hoc die affixi cruci
Fures duo. At quid expaueſco à mortuis?
Me ad territandum neutiq̃ deſcenderint.
Pendete uos, ego dormiam tantiſper hic.
Dum hac tranſiens me quiſpiam excitauerit.

CHORVS.

Dimetri & Monometri.

Qui ſibi placet quàm magnus eſt,
Is ſtultus eſt, Is ſtult, &c.
Altusq; cui ſtatus placet,
Is ſtultus eſt, Is ſtult. &c.
Qui dignitates appetit
Is ſtultior. Is ſtult.
Et ambit hic potentiam.
Is ſtultior. Is ſtult.
Qui inflatur amplitudine
Stultiſsimus. Stultiſ.
Humilesue celſus deſpiat.
Stultiſſimus, Stult.

ACTVS IIII. SCENA PRIMA.

Trimetri.

Præſes, Baſſarus Creoborus.

SÆuit me hercle Iuppiter iratus nimis,
Vix ego pedem auſim efferre lumine præuio
Foras, & hic gabalum adire iactitat.

Quid

Quid? adhuc ne conuenta rata ſeruas Baſſare?
Baſ. Ego ne? ſto, ſtaboq; conuentis. Præ. ades
Ignauiæ præſes. Cr. licet. Pr. Iactantiæ
Princeps. Cr. licet. Pr. rex impudentiæ. Cr. licet.
Mendacium, uoracium, rapacium,
Et heluantium Imperator. heus. Cr. licet.
Pr. Adhuc ne ades tot prædicatus laudibus?
Cr. Adſum, quid eſt quod me iubebis exequi?
Pr. Dixti ne adire quod audeas furum cruces.
Iam ueſperi? Cr. dixi equidem. & ilicet exigam.
Baſ. Audiſtin illum? Pr. haud fecerit. Sed rememoret
Conuentionem. Cr. denuo quid expetis
Tempus teri? Conueneratis hoc modo.
Si inter tot ignes fulminum, tonitruum,
Et chaſmatum utroſq; creta patibuli
Notare poſtes audeam, tu ſolueres
Hoc ſymbolum, ſiquo minus, idem Baſſarus.
Tentabo rem, tamen interim tu Baſſare
Pulſare campanas ſacras ne negligas.
Baſ. Abi igitur hinc. Pr. haud fecerit. Baſ. ſi haud fe-
Beaberis. Cr. me ſancta ſeruet ſaturitas (cerit,
Baſ, Periculo alterius quidem. noſtrum ille abit.
Quid in tenebris promicare conſpicor?
Domus tuæ fortaſſe fuerit quiſpiam.
Pr. Poterit quidem. moremur hic laternulam,
Quamuis tonitrus introire ſuadeat.

ACTVS IIII. SCENA II.

Trimetri.

Merimna, Ancilla, Baſſarus, Præſes, Dromus

Quis

QVis recta in ædeis Baſſari nos duxerit,
Cum nec in agro nec in platea quiſpiam
Ob aëris commotionem appareat?
Pr.Pol uxor eſt.Anc.uox quæpiam inter turbines
Aures meas pulſare ſentitur uiri.
Auſculta hera.Pr.Analla eſt.Baſ.uoca. Pr.uxor huc.
Mer.uir eſt.
Hem,Pr.ad dexterã flectite gradũ. Mer.uir optime.
Quantis grauatæ incommodis hucuſq; uix
Peruenimus.Pr.quid hanc Dromam non miſeras?
Iam quiſpiam fores domus refringet.&
Suſtollet omnia.Me.auſit hoc quiſquam,duos
Vbi hoc die ſuſpenderis.Præ.fortaſſis.At
Cur huc uenitis dicite.Mer.omnia cocta ſunt,
Rogamus ut uenias,priusq̃ frigeant.
Præ.Non adero cœnaturus.igitur hic maneto
Tu quidem,ſed abeat hæc,& adferat
Pinguem anſerem,& ueruecis armum dexterum.
Anc.Here abire ſola neutiq̃ audeã.Præ.abi in malã
Crucem.Anc.here profecto, etſi neces,non audeam.
Me.Comitabor illã.P.haud quaq̃,ades puer Dromo.
Dr.Hem.Præ.abi domũ cũ famula,ut adferat anſerẽ,
Armumq; dexterum,& alia cocta obſonia,
Dr.Quodcunq; nobis iuſſeris curabimus.
Præ.Pergite citi.Dr.uolamus. Præ.heus puer. Dro.
quid eſt?
Præ.Quod maxime prædictum oportuit,amphoras
Vini duas adferte,clamydem quoq;.Dr.licet.
Præ.Sed &.Dr. quid hoc? Præ.horſum.Dr.hem.P.
reuerſi

reuerſi denuo
Tantum clamyda ferctis, aſt obſonia
A furibus ſublata reſpondebitis.
Intelligenti pauca ſufficiunt. Capis?
Dr. Capio here recte, hic nanq; abundant omnia.
Baſ. Silenter hæc mandare ſe ſeruo putat,
Sed uentus omnia mihi ſecundus ſuggerit.
Merito incidet quam fecit (ut ſpero) foueam.
Euergetes. Præ. hem. Baſ. Intro. imminet tonitruum.
Præ. Papæ. Baſ. quis exit huc foras?

## ACTVS IIII. SCENA III.

Trimetri.

Hieronymus, Baſſarus.

------------------ Quid Baſſare
Non pulſitas in maximo diſcrimine?
Baſ. Contra tonitruum & fulminum pericula,
Quid obſecro æris proderit pulſatio?
Hie. Dubitas nefande ſacrata tintinnabula
Valere contra tonitrua atq; fulmina?
Fruſtrane conſecrata nebulo exiſtimas?
Abi ocyus, ne quid mali ominis accidat.
Viden æthera, aëra, aquam, & ſolum miſcerier?
Et adhuc moraris? Baſ. quin morer: nũc proxima eſt?
Epulationis hora, & unum aut alterum
Præſtolor aduentantium & nunc eijcis?
Hie. Non eijcio te Baſſare, at te debiti

Moneo

Moneo atq; conſuetudinis Baſ. Si eundum erit.
Tene obſecro te iſthanc facem, donec ſonum
Pulſantis audias. Hie. tenebo. ut timidus es.
I, differatur cœna & ultra ſeptimam.
Dum pulſat ille, commodè loquar meæ
Graidio.——————

ACTVS IIII. SCENA IIII.

Trimetri. Hieronimus, Graidium, Baſſarus.

—— ADes mea Graidium. prodi foras.
Gr. Quid uis? Hie. ades. ſecretius tecū loquar.
Videntur hi quæſiſſe non me, ſed mea,
Nam Præſidis familia multis indiget,
Et Baſſarus uulpinus & doloſus eſt.
Vtcunq; ſeſe res habet, mihi ueſperi
Dolos ſtruent, & inferent calumniam.
Vt ſymbolum uinarium ex me torqueant.
Si ſcirem adeſſe Præſidem, haud quaq̃ domum
Relinquerem. Securius itaq; cenſeo,
Dum templum adit aſtus, redire clanculum, &
Edere domi, fortuna quicquid tribuerit.
Gr. Me caſtor ipſum iudico fore optimum.
Baſ. Heu heu. Hie. quid hoc? Baſ. ſuccurrite. Gr. Au,
quid Baſſaro?
Fugiamus intro. Baſ. Aperite dum ueleciter.
Hie. quid eſt miſer? cur pauidus es? Num lamia te
Momordet aut ſtriges? quid eſt quod clamitas?
Baſ. In cœmiterio. Hier. quid? Baſ. In carniario,
Hier. quid illic eſt? Baſ. ſedet Diabolus. Hier. forſitan

Dentatus

Dentatus. Baſ. Hei. Gr. Reſpiret obſecro paululum.
Vin frigidam faciei aquam ſuffundier?
Baſ. Suffundito. Gr. Huc aquã. Hier. quid inſanitis
heus?
Nugatur (ut ſolet uſq;) perge dicere.
Baſ. Dicam haud dolo Diabolus in carniario
Sedet, atq; buſtuaria ſuis dentibus
Comminuit oſſa. Hie. O flocciorem uellere.
Vidiſtin hunc. Baſ. Vidi inquam in nictu fulguris
Lariuam nigerrimam. Hie. Quid audio? Hiccine
Prætextus eſt quod neutiquam pulſaueris?
Niſi me podagra ſtringeret, non te quidem
Vrgerem in hoc negocio. Baſ. Si ignauiæ
Quod ipſe certo deprehendi aſſcribitur,
Vel denuo ad templi fores te perferam,
Quamuis malo mihi maximo iam ceſſerit.
Hie. Huc huc ades, curuare pluſculum. Baſ. Licet,
Scapulis meis incumbe. Hier. Sedeo, perge tu.
Baſ. Pergam alacriter: tu Præſes expectato nos.

ACTVS IIII. SCENA V.

Trimetri.

Præſes, Hieronymus, Baſſarus, Phorus.

LIbet uidere huius rei ſpectaculum,
Et quem tragœdia ſortietur exitum.
Iam proximi ſunt cœmiterio. Hie. quid hoc?
Quis iactus hic? Baſ. Tegulæ, cadunt ui turbinis,
Hie. Nũ tegulæ à tectis cadũt porro? Baſ. & procul.
Hie. Non

*Hie.Non tegulas,ſed oſſa ſuſpicor ex ſono*
*Labentium.Heu quis crepitus hic?reuertere.*
*Baſ.Pulſandum erat,non conuenit reuertere,Hi.hui*
*Quid intuor?Baſ.nihil niſi atrum dæmona,*
*Hie.Horreo miſer.reuertitor.Per omnia*
*Te adiuro ſacra reuertitor mi Baſſare.*
*Caluariæ iactæ uolant,& dentibus*
*Dæmon fremit laruatus in carniario.*
*Mihi tibiq; timeo:quæſo reuertere.*
*Baſ.Te ſacra ſeruabunt,tace.Præ,iam ſuſpicor*
*Tranſiſſe cœmiterium,neutrum audio*
*Pergentium.Ph.ipſum habes?Baſ. habeo.Pho.num pinguis eſt?*
*Baſſa.Seu pinguis aut macilentus eſt,habeto eum. Hier.oh*
*Ne deſeras me Baſſare,Heus ne deſeras.*
*Baſ.Non audio.Hie.ſi deſeras,quis me Deus*
*Adiuuerit?Ne deſeras.Baſ.te deſero.*
*Me ſequere ſi uales.Ph.bah.Hie.atat,Ph.bah.Hier. atat,heus,ohe.*
*Præ.Quis clamor o aues?quid eſt quod audio?*
*Lamiæ puto deglutiunt Hieronymum*
*Et Baſſarum.Nugas putaram & ludicra.*
*At ſerium quiddam agitur.En Cuſtos prior.*
*Baſſarus.Aperite dum.Præ.quid agitur?Baſſa.intus dixero.*
*Præ.Hieronymo quid abâdet?Hie.aperite dum*
*Præ.Et hic podagræ oblitus accelerat gradus.*

*Vt currit. Hic. heus aperite dum ocyus, quia*
*Teterrimus me à tergo adoritur dæmonum.*
*Præ. Apage, quid hoc? Hierony. fugiamus intro, ibi*
*dixero.*

## ACTVS IIII. SCENA VI.

*Trimetri.*

*Creoborus, Ærarius, Baſſarus.*

*NImis moratus ſum hactenus poſt aggerem*
*Ventrem leuando, ruſtiã quod craſſius*
*Merdando ſeu cacando dictitant? canisq;*
*(Vt in parœmia eſt) in ollam repſerit.*
*Videor mihi ſubinde cernere patibulum.*
*Quid patior? Heu miſer pauore contremo,*
*Nutant genua, comæ rigent, animus quoq;*
*Labaſcit. An fures putandum penſiles*
*(Vt fabula eſt) quo terreant deſcendere?*
*Recipe animum Creobore, utriq; poſtium*
*Inſcribe quàm potes citiſſimè notam*
*Cretaceam. Hoc inſigne Præſidis eſt, eo*
*Ad alterum. Proh Iuppiter quæ chaſmata?*
*Quæ fulgura & tonitrua horreo. papæ,*
*Quid hoc? Adhuc ne uiuis Heino? Hein leefdi noch?*
*Ær. Quis neuerit? uuie ſolt my doot hebben? Creobo.*
*papæ.*
*Væh mihi. Tuam fidem, tuam fidem obſecro.*
*Æra. Sta paululum. Creobo. Non ſto. Aer. Vt Dij te*
*furcifer*

*Omnes*

Omnes ad unum concrement. Sta paululum.
Cr. Non ſtabo. Aer. Si prehendero te, extinxero
Creobo. Proh proh deum atq; hominum fidē, ſic ne
moriar?
Adeſte populares, adeſte Creoboro.
Baſ. Dij boni, quid hic noui clamoris eſt?
Quis es? Cr. Creborus, obſecro mi Baſſare
Succurre mihi. Baſ. quid pateris? ecquid clamitas?
Cr. Aperi ſubito, nam fur adeſt, ſecum trahens
Crucem & catenas ferreas. Non percipis
Aeris fragores horridos? Aperi ocyus.
Baſ. quid monſtri id eſt? Ingredere raptim. Cre. clau-
dito.

## ACTVS IIII, SCENA VII.

Senarij ut præcedentes,

Aerarius. Baſſarus,

HEus heus. Baſ. quis es? Aer. aperi hoſpes. Baſ.
haud quaquam tibi.
Aer. Aperis ne caupo peſtilens uiro probo?
Baſ. fures probos non cenſeo. Aer. trifurcifer,
Furti ne me argues? Baſ. quis igitur es, palam
Dic, penſilis ſi neutiquam fur Heino ſis?
Aer. Sum Heino quidem, uerum abſq; furti crimine.
Baſſarus. Quis igitur es tu? Aerari. Aerarius faber
omnibus
Notiſsimus. Baſ. tu excuſſor ille nobilis
Dic, ac q; cacabarius? Aer. noſti. Baſ. aperiam.

Aer. Quæſo breuiter. Baſſarus. ades, age quid accidit tibi
Cum Creoboro? Aer. digniſſimum riſu quidem
Negocium. Cum ob æris pericla me
Sub patibulo poſuiſſem, & in ſomno graui
Laſſus iacerem, adeſt Creoborus (neſcio
Quid actitans) & inſcius mei (ut extimo)
Forte alterum uidebat impellente eum
Vento moueri furem, & arbitrans eum
Viuere, uocabat altius, uiuis ne adhuc
Heino? cui tum experge factus reddidi,
Quis me necuerit? Ille mox lapſus fuga
Me hucuſq; ludificantem (ut audis) paſſus eſt.
Nam ut æris audiret fragorem, & cacabos
Me perſequente concuti, fures putans
Se ſubſequi, terrore conſternatus eſt.
En fabulam Baſſarus pulcherrimam quidem, ita me amet
Mercurius, Introgredere, ut hæc facetius
Recenſeas pleniſſimè inter pocula.
Turba inſtrepit foris, ſerandæ ſunt fores.

ACTVS IIII. SCENA VIII.

Trimetri.

Laruati duo, Baſſarus, Præſes, Paſtor, Creoborus.

MOm mom. Baſ. quis es qui denuo tamque temere

Pulſas

Pulſas foreis.Lar. Mom mom. aperi.Baſ. ut actum?
Lar.proſperè.Baſ.bem.
Har.Hic anſer eſt,hic uina ſunt.Baſ.da clanculum.
Ph.Hæ ſunt nuces clauesq; Creobori.Baſ.bene eſt.
Et præſidem atq; Hieronymum uocauero.
Har.Mercurius addat,ut quemadmodum hactenus
Sic & modo alea noſtra cadat hic proſperè.Baſſa.
heus
Euergetes Paſtorq; adeſte.Præſes.quid eſt? Baſſarus.
uiden?
Præ.Quid ponitis.Larua. Mom mom. Hiero. duos.
ſeſtertios.
Lar.Mom mom.Hieron.quaternio eſt & unio.Præ.
en meus.
Hie.Is ternio eſt & unio.Pr.me uincitis.
Lar.Mom mom.Hie.quaternio quidem eſt & ſenio.
Pr.Videte me.Hie.Quaternio eſt ternio.
Veſtra eſt pecunia.Pr.fateor.Paſtor tuæ
Sunt iam uices.Lar.Mom mom.Præſes.unio eſt &
ternio.
Hie.Meus quidem.Pr.bis unio.Superatis hunc.
Lar.Mom mom.Hie.quis eſt?Pr.bis ſenio.Hier.en
meus,quis eſt?
Pr.Bis ternio,haud ſecus atq; ego tu uinceris.
Lar.Mom mom. Præ.ualete. Lar.haud ſic quidem
uidete nos
Pr.Sunt liberi.Har.hæc boni uiri pecunia eſt
Ad ſymbolum.Pr.grata eſt.Baſ.adeſte liberi.

*Venite adeſte cæteri.quia cuncta quæ ad*
*Cœnam attinent,tandem parata & cocta ſunt*
*Cr:Hoſpes præi,ſequemur acres dentibus,*
*Baſ.heus tu Creobore affer prius de nucibus ijs*
*Quas te pro amicis condidiſſe iactitas,*
*Cr.Etſi quidem magno redemerim,adferam.*
*Vos interim libate laridum ac pernulas,*
*Mox adero.Præ.ſi mox introibis neſcio.*
*Creobo.Quid ais?Præſes. Nihil canebam.abi ocyus, & redi.*
*Cr.Redibo,ſed nihil adferam,modo ſapiam,*
*Aedes quod expilaſſe fures dixero.*

CHORVS

*Dimetri & monometri.*

*CArnem nutrire ſobriè*
*Prudentis eſt prudentis.prudentis eſt.*
*Putremq; fugere Cypridem*
*Prudentis eſt.prud.prud.prudentis eſt.*
*Argentum & aurum ſpernere*
*Prudentis eſt.prud.*
*Veraſq; opes inquirere*
*Prudentis eſt.prudentis eſt.ut ſupra.*
*Calcare honorem & gloriam:*
*Prudentis eſt.prud.*
*Modeſtiamq; amplectier*
*Prudentis eſt.prud.prud.prud.*

Trimetri.

Creoborus, Analla, Famulus.

IAm fermè tempus regrediendi ædes meas
Non introiui,neq; enim neceſſe erat
Quod inde nil proferre deſtinaueram. Hui,
Exaudio plorantium uoces,Dromi
Dromæq;,clam auſcultabo,quænam cauſa ſit.
Anc.Me miſeram,ut hæc dies mihi infauſta accidit.
Fa.Vt tu times? Quid miſera & ante tempus es?
Cum herus tibi nihil ciborum iuſſerit
Adferre,ſed ſublata dicere clanculum,
Iam nil tibi indignabitur animo effero,
Et ſiquidem iram finxerit.Anc.Scio id quidem,
Verum dies dum craſtinus diluxerit,
Et carnium uiniq; facta mentio,
Quid miſera tunc dictura ſum,dum ſingula
Sublata uere exaudiet? Totam ſimul
Cauſam facinoris ingeret mihi,quod
Meam per negligentiam oſtium non clauſerim.
Fa.Sat ſit ſua malitia diei craſtinæ.
Fortè aliud intercœſſerit,quo tu quidem
Secura ſis.Cr.factum probè,factum bene:
Nam(ut audio)ſublata ſunt obſonia.
Sordes uide atq; aſtutiam,uolebat hæc
Meopte more ablata furto dicier,
Sed fraude captus ſpeq; inani fálſus eſt.
Iam loquor ad hos.Quæ pone me uox perſonat?

Non te Drome audio? Fam. Dromam quoque. Creo. ſcio equidem
Obſoniorum uos onuſtos pondere,
Vultis ne tanta ſarcina leuarier?
Anc. Heu Creobore, haud tua ope indigemus, Non enim
(Vt tu putas) obſonijs uinoue, ſed
Luctu & dolore magno onuſti regredimur.
Cr. Quidnam? Anc. quia omnia quæ paraueram & coxeram ad
Cœnam, Per improbos uiros ſublata ſunt.
Creob. Quid audio? Anc. quod uerum. Et ipſe haud diſpari
Laboro miſer incommodo, quia optimas
Pro amiculis, qui me ſubinde uocant ſuum ad
Sympoſium, quas emeram dudum nuces,
Fur quiſpiam hac eadem in hora ſurpuit.
Vereorq; ad hos qui me uolebant has nuces
Adferre, manu (ut aiunt) inani regredi.
Sed oſtium crepuit, notabo quis exeat.

## ACTVS V SCENA II.

*Tetrametri*

Præſes, Baſſarus, Serui duo, Creoborus.

TRanquillior fit aura, & aër eſt ſerenior, quid eſt
Baſſare quodusq; adhuc morantur ſerui, & haud nobis ferunt

Obſoniũ

Obſonium. Baſ. Fortaſſe nondum excoctum erat. Fa.
Nos adſumus
Here. Præ. Ecquid uſque adhuc morati eſtis redire?
Fam. Præ
Timore non præſumpſimus redire, nam quæ hæc co-
xerat,
Furto uniuerſa ablata ſunt. Præ. Furto uniuerſa abla
ta ſunt?
Fa. Ablata ſunt. Præ. Hæc ob tuam impuriſsima &
ſocordiam,
Et negligentiam accidiſſe quis ambigat? Repagulum
Quum obdidiſti ianuæ? Anc. Tuam fidem here ſera-
ueram
(Ita me Deus amet) oſtium ſolidius, quàm unquam
antea.
Pr. Mentiris impuriſsima, huc porrigite fuſtem quer-
neum.
Baſ. Vt ſimulat iram ſordibus. Remitte quæſo Euer-
getes.
Ne uerbera. curauerit poſthac puella cautius.
Pr. Neſcis profecto Baſſare, quantis iners hæc fœ-
mina
Nos afficiat incommodis, damnis ferendis neutiquã.
Remitto tamen hanc, ob tuos pro ea precatus, noxiam.
Ingredimini, curemus interim tamen donarijs.
Baſ. Sufficerint hæc noſtra fercula. Heus Creobore
quin uenis?
Habéſne iuglandes. Cre. Per hanc furum licentiam

*quoque*

*Spoliatus heu iuglandibus manibus reuertor ina-nibus.*

Pr,*Mentitur impudens,eat malam in crucem dare renuit.*

Baſ.*Tantum ne tu impartirier grauaberis ſodalibus?*

Pr.Nos *introeamus hic foras.*Baſ.*Tuo relinquo ar-bitrio.*

Pr.Dic *ſerio.poſtes notaſti patibuli?* Cr.Neq; *tetigi,*

Neque *non tetigi.*Præ.Vt *omnes* Dij *te perduant, me luſeris?*

Cr.Non *luſero.aut fefellero.*Si *admiſeris non tetige-ro at*

Tetigero *ſi me excluſeris.*Præ.Admitto,*dic iam ſo-rio.*

Cr.Poſtem *alterum duntaxat inſigniueram,nam ab altero*

Me *terror aſpulit,*Pr.Introi *ſat pro mea ſententia.*

Ingredere,*adhuc ſunt reliquiæ quas colligas*,Creo.

Collegero.

O *diua* Saturitas,*lues quanta petaſonibus imminet:*

O *quanta pernis,ſumini,farimini,tomaculo.*

Exit Merimna,*commodum,iam nulla pulſandi mo-ra.*

## ACTVS V. SCENA. III.

*Trimetri.*

*Merimna, Præſes*

*Iam*

IAm tempus eſt Euergetes regredi domum,
Et gratias referre noſtro Baſſaro,
Qui ueſperi noſtram aluit omnem familiam.
Pr. Vt uxor es ſollicita, cras duplum domi
Noſtræ rependero. Cuncta nanq; obſonia
Quæ coximus, reſtant adhuc domi integra.
Nam iuſſeram dolo miniſtris dicere,
Furto quod inuolata & expilata ſint.
Merim. Res improba eſt & ſordida hæc Euergetes.
Si nanq; tandem iſthuc reſciſcat Baſſarus,
Dedecori erit cum ſempiterno opprobrio,
Tibi mihiq; & omnibus domeſticis.
Præ. Vocemus igitur Baſſarum & ſeſtertios
Sex largiamur. Heus adeſdum Baſſare.
Adeſto Paſtor. tu uxor introi. Merim. Hem. Baſſar. Adſumus.
Pr. Ago gratias de beneuolentia tua, &
Humanitate maxima, in me, & in meos
Exhibita, & hos dono duos ſeſtertios
Pro Symbolo. Hie. Hos duos quoq; ego mi Baſſare
Ad ſymbolum dono, ſimulq; gratias
Ago maximas de humanitate præſtita.
Voloq; (ſi non ſit graue) die craſtino
Compareas cum Præſide atq; uxoribus
In prandio. Nam commodi tantum quidem
Peperit timor, mihi ueſperus, podagræ dolor
Vt omnis abierit ſemel. Præ. Si tu uocas

Nos

*Nos Paſtor omnes craſtina ad tua prandia,*
*Te Paſtor, & cum uxore Baſſarum, uolo ad*
*Suffrigidas cœnas domi meæ ſimul*
*Adeſſe ueſperi.* Hier. *Facilè parebimus.*
Baſ. *Pecuniam gratam habeo ueſtram duplicem.*
*Vocatio quoq; utriusq; perplacet.*
*Paucis tamen uolo ſingulis præſentibus*
*Vobiſcum ad extremum loqui.* Pr. *Loquere palam.*
*Prodite ſinguli foras.* Cr. *Simul adſumus.*

ACTVS V. SCENA IIII.

*Trimetri.*

*Baſſarus cum Grege.*

*VObis quidem inſeruiui amici, non meis,*
*Sed omnium ueſtrum libens impendijs.*
*Quas Paſtor hoc die ad uoluptates tuas*
*Eſcas paraſti clancularias, tibi*
*Non abſq; hypocriſi atq; cognatæ tuæ,*
*Has ipſe Præſide ſuggerente ſuſtuli.* Hie. *En.*
Gr. *Ha ha he.* Hie. *Vt es ſemper tui ſimillimus.*
Baſ. *Tu Præſes ea quæ habere te domi putas,*
*Sublata furto mentiens obſonia,*
*Ipſa tibi nunc appoſui edenda ueſperi.* Pr. *En.*
Gr. *Ha ha he.* Pr. *Vt uſq; Baſſarus hic eſt Baßarus.*
Baſ. *Et tute ades bone uir Creobore, qui nuces*
*Dementiens domi te habere credidis,*
*Nunc ipſe eaſdem frangis atq; deuoras.*
Gr. *Ha ha he.* Cr. *ut hoc digniſsimum: quia credidi*

*Clauem*

*Clauem tibi domus meæ atq; Præſidis.*
Pr.*Meæ? profectò inſignis es nebulo. anne abis?*
Cr.*At quur familiam foras me truſeras?*
Gr.*Ha ha he.* Baſ.*Remitte.* Præ.*Remitto.* Cr.*Referam gratiam.*
Baſ.*Nunc tandem & ipſe ago iure uobis gratias,*
*Sartaginis Bacchiq; ueſtri particeps,*
*Adeoq; reddo, quam dediſtis ægrius,*
*Pecuniam hanc hillariter in bellaria,*
*Vt edamus & bibamus ampliter. Tibi*
*Quoq; Paſtor (ut ſale condias) quum illuxerit*
*Mihi craſtinus, reddam ſuem, quam tibi uafer*
*(Vt dignum erat iuſtumq;) dudum ſuſtuli.*
Hiero.*Tun mihi?* Baſ.*Sile.* Hiero. *Num iuſtum & æquum Baſſare?*
Baſ.*Aequiſsimum. Nam cum ſuem & tomacula*
*Sublata furto callidè me conſcio*
*A cæde diuulgaueris, tomacla ne*
*Ex more cogereris impartirier*
*Pluribus in hac uicinia, nonne merito*
*Suem tibi & tomacla cruda ſuſtuli,*
*Et aſſa cum probis edenda præbui?*
Gr.*Aequiſsimum.* Hier.*Sed uafriciem illam tu mihi*
*Suggeſſeras.* Baſ.*Suggeſſeram, at fœdam nimis*
*Tenacitatem haud ego tibi, ſed Graidium*
*Suggeſſerat. num idcirco merito plecteris?*
Hier.*Meritiſsimè fateor, & hanc farciminum*
*Iacturam ego æquo animo feram, modo ſuem iam*

*Recepero*

Recepero. Gr. Habibe. Baſ Cras recipies ſuccidam
Et integram & ſaluam. Hiero. Bene eſt. Sed ut accidit?
Baſ Non huius eſt quidem loci uel temporis
Referre cuncta. Ingredimini, intus dixero.
Vos qui modum ſpectaſtis hæc quo facta ſunt,
Nil audietis amplius. Iam plaudite.

FINIS BASSARI.

22

# TEMPVS.

